



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz
Toletani è Societate Iesv**

Álvarez de Paz, Jacobo

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. VIII. De Virtute Fortitvdinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

VIII. Nec ita temporalia dare, vt prodigè & insipienter infumantur: nec ita talentis spiritualibus prodesse, vt mentis nostræ virtutes ac profectus attenuentur.

Postulatio liberalitatis: Domine Iesu Christe, qui es potentissimus Rex, summè magnificus & liberalis indando, nam cum vno gemitu aut vna gutta sanguinis nos redimere potuisses, innumerabilibus tamè gemitibus & lacrymis nos redemisti, & infinitis meritis ac totius sanguinis tui effusione à peccato liberaisti: doce nos, quæsumus, in tuo obsequio largos esse, & erga fratres nostros liberales, vt in hac vita largitatis tuæ donis cumulemur, & in futura largâ eximiæ gloriæ benedictionem accipiamus. Amen.

De virtute Fortitudinis.

CAPVT VIII.

VIRTUS Fortitudinis appetitum irascibile moderatur, sicut prudent-

dentia intellectum in moralibus perficit, & iustitia voluntatem in ordine ad alios rectam efficit. Hi autem septem aliæ virtutes annectuntur, quæ passiones irascibiles cohibent. Hæ autem sunt: *Magnanimitas, Magnificientia, Patientia, Longanimitas, Perseuerantia, Constantia, Securitas*: Quæ omnes, sicut ipsa Fortitudo, ita appetitum irascibilem afficiunt, vt etiam voluntatem exornent, in qua sunt præcipui earum actus. De his igitur nunc suo ordine agendum est.

De Fortitudine. §. I.

Fortitudo est virtus moralis, voluntatem ac appetitum irascibilem afficiens, qua homo erga acerba & terribilia rectè se habet, ita vt neque prauè timendo, in malum cadat, neque temerè audendo, ab officio rationi consentaneo desciscat. Vel breuius: Est virtus animi, qua labores mortisque pericula constanter suscipiuntur, & perferuntur. Cuius duo sunt generalia officia, in actiones, quæ statim dicentur, distincta. Alterum est & præcipuum, labores,

res,

res & periculà sustinere ac pati. Alterum verò, eadem pericula & labores, cùm oportet, adire & aggredi.

Bonau. in
dieta sa-
lutis, tit. 5.
§ 7.

Incitamenta ad Fortitudinē sunt:
I. Fortitudo inter alia comparatur à
Bonauentura radici arboris: Nam si-
cut radix in arbore sustinet truncum,
frondes, & flores; fructus, & folia;
ita Fortitudo sustinet omnes alias
virtutes, & earum actiones, & meri-
ta. Quamobrem, qui non vult ista
perdere, & periculo direptionis ex-
ponere, debet per fortitudinem con-
tra hostes armari: *Fratres mihi dile-
cti*, inquit Paulus, *estote stabiles &
immobiles, abundantes in omni opere
Domini semper.* Ac si diceret: si per
fortitudinem, stabilitatem & immo-
bilitatem non habeatis in bono, ne-
quaquam poteritis bonis operibus a-
bundare.

1. Cor. 15.
58.

II. Hæc virtus in infirmo homine
tanti pretij est, vt Deus ipse velit no-
stra fortitudo nuncupari. Ipse enim
auctor est nostræ fortitudinis, qui
dum nos inuictos facit & aduersus a-
nimæ hostes insuperabiles, maximè
glo-

glorificatur in nobis. Sed *hac animi fortitudo*, ait Prosper, *ab illo est nobis, de vita cui cum Propheta cantamus: Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Fortitudo nostra est, quia ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroborat, ut animum nostrum nec blanda dissoluant, nec aduersa deiciant. Et nunc laus nostra Dominus fit, si non nos de muneribus Dei, sed diuina in nobis cupiamus munera prædicari.

III. Hac virtute, bona quæ nondum adepti sumus, assequimur, & dona iam parta seruamus. Nam & ardua ac difficilia audet, ut spirituales diuitias augeat, & dura ac molesta sustinet, ut comparatas asseruet. Hæc non *timeteos, qui occidunt corpus*, iuxta mandatum Domini, & *timet Dominum, qui animam potest in gehennam mittere.* Et dum eum, qui dignus est timeri, timet, & reliqua, uti imbecillia, contemnit, salutem suam possessori conquirat.

Actiones fortitudinis sūt: I. Pericula

la

la mortis, & ipsam mortem iam irruentem, ex quacunque causa proueniat, sine deiectione animi sustinere, & præcipuè illam, quæ causa fidei infligitur, & martyrium est, animosè suscipere.

II. Quælibet alia pericula euentuum molestorum, acerborum, & terribilium, quæ in hac vita accidunt, maximè propter defensionem cuiusque virtutis, tolerare.

III. Mentem confortare in aduersis quibuscumque ne terreatur, & in prosperis ne mulceatur, & à recto virtutis tramite ad dexteram vel ad sinistram deuiet.

IV. Roborare animum, vt semper exerceatur in bonis, licèt multa impedimenta operibus bonis obstant, & ne vnquam vincatur in malis.

V. Tentationes & insultus demonis ferre, & reijcere, ac propter illa à præceptis diuinis & consilijs Evangelicis nequaquam dimoueri.

VI. Ardua quæque & difficilia, ad comparandam perfectam virtutem aggredi, & in Deo nos adiuuante cõfidere.

VII. Men-

VII. Mentis tranquillitatem in aduersis conseruare, & in medijs molestijs ac tribulationibus, lætitia & iucunditate perfundi; secundum illud Pauli: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

VIII. Pericula & molestias, quæ omninò vires nostras excedant, sine anxietate vitare, & nos, si absque ignominia potuerimus, ab illis in opportuniorem commoditatem custodire.

Postulatio Fortitudinis: Domine Iesu Chrille, Leo fortissimè de tribulada, qui de sinu Patris exijsti, vincēs peccata nostra, vt vincerēs mortem, & infernum dissipares: corrobora mentes nostras virtute fortitudinis, vt propter te aduersa & molesta animosè sustineamus, & ardua ac difficilia, propter tuam gloriam & laudem aggrediamur. Pelle, ô Domine, rogamus supplices, à cordibus nostris noxiam timiditatem, qua solemus non timenda timere, & omnem intimiditatem, qua consueuimus ea quæ timēda essent, non trepidare. Temerariam
etiam

etiam audaciam comprime, qua ali-
quid supra vires à te concessas adori-
mur, vt in medio huius virtutis posi-
ti, secundum quod tibi placet, in stu-
diosis operibus strenuè & fortiter
nos geramus. Amen.

De Magnanimitate. §. II.

D. Thom.
2.2. q 129.
ar. 3 ad 3.
Bonau. in
hom. Eccl.
to 1. opus.
Arist.

Magnanimitas est virtus, qua mag-
na opera & eximio honore dig-
nissima propter finem virtutis aggredi-
mur, ipsum verò honorem nobis denega-
tum non ambimus, & oblatum contem-
nimus. Ita quidē magni Ecclesiæ Do-
ctores, Thomas & Bonauétura huius
virtutis naturam exposuerunt, & ex
parte Philosophi definitionem cor-
rexerunt. Qui fidei luce carens, & sui
oblitus, (nam alio loco verè docuit
honorem propter seipsum non esse
quærendum) plus amoris honoris tri-
buit, quàm Christiana veritas pati-
tur, & quàm ipse honor (qui virtutem
sequitur, sicut delectatio sumptio-
nem cibi) mereatur.

Incitamenta ad Magnanimitatem
sunt: I. Magnitudo Dei, cuius nos ser-
uos

uos profitemur & filios, ac imitato-
 res esse cupimus. Ipse enim magnus
 est: *Quia magnus Dominus & laudabi-* Psa. 47. 1.
lis nimis. Et: Magnus amor eius, quo fi- Ioan. 3.
lium suum nobis in redemptorem dedit,
& spiritum suum cordib. nostris immi-
sit. Et: Magna virtus eius, quia fecit no- Luc. 1. 49
bis magna, qui potens est. Et: magnum Psa. 102.
donum eius: Nam redemit de interitu 4.
vitam nostram, & coronat nos in mise-
ricordia & miserationibus, & compla-
cuit ei parare nobis regnum. Ita vt
 possimus singulis momentis dicere:
Quod magna est misericordia eius su- Psa. 85. 13.
per nos. Quis ergo non videat, huius
 magni regis famulos, amicos & filios
 magnos esse debere, quiq; magna pro
 ipso audeant, & omnem sæculi hono- Aug 1 de
 rem qui, vt ait August. *nullius est pon-* de ciuit.
deris fumus. animosè contemnant? c. 17.

II. Magnis operibus magna præ-
 mia promissa sunt: Nam qui mnâ, quâ
 acceperat, lucratus est quinque
 mnas, præficitur quinque ciuitati-
 bus; qui verò decem mnas acquisiuit,
 laudatur vehementer, & cumulatis-
 simum præmium recipit: Audite
 enim:

Luc. 19. enim: *Euge bone serue, quia in modico*
 17. *fuiſti ſi leſis, eris poteſtatem habens ſu-*
 Greg li. 3. *per decem ciuitates. Magna ergo pro-*
 in 1. Reg *miſit, inquit Gregorius, qui magna*
 ad c. 17. *præcipiendo docuit, vt magnitudo mu-*
neris ad fortitudinem incitaret laboris.

III. Magnarum actionum ſectato-
 ribus, non tantum in alia vita Domi-
 nus magna præmia decernit, ſed etiã
 in hac vita miris donis augere ſolet.
 Huiusmodi ſunt: Mentis puritas; di-
 uinarum conſolationum affluentia;
 in rebus arduis inuicta fiducia; in
 morte ſecuritas; citus ad cœlũ tran-
 ſitus; nullus aut modicus aut purga-
 torij flammæ accessus. Egregiè p. o-
 fectò Gregorius ait: *Magnum eſt ſoli*
 Greg. 5. *Domino ſeruire, videlicet inſtanter bo-*
na agere, bonis actibus reprobis non miſ-
cere: ſed hoc quàm maximum, in huius
vita tranſitu poteſtatem cruentorum
ſpirituum non incurrere. Nullas in via
horribilitates cernere, contrarietates ob-
iectionum nullas inuenire, æternas pœ-
nas euadere liberatoris noſtri præſidia
ſentire, momentaneam ſæculi lucem
perdere, ſed repente ineffabilem clari-
tatem

statem aternitatis inuenire. Hæc ille.

Actiões Magnanimitatis sunt: I.

In omni mortificationis genere atque virtutis, nõ mediocribus contentos esse; sed cum Dei gratia ad supremum gradum anhelare, & quoad fieri possit, maximas & excellentissimas actiones præstare.

II. Homines etiam suprema dignitate fulgentes, & eorum magnificas promissiones, & minas terribiles, si ad aliquid virtuti contrarium compellant, animo è contemnere.

III. Impedimentis, & obstaculis non frangi, qui se præstantissimis actionibus virtutis opponant, sed ea fortiter separare.

IV. Post magnam cum Deo familiaritatem adeptam, ad maiorem aspirare, & post eximia opera, in eius obsequium præstita, adhuc maiora moliri.

V. Difficultatibus & molestijs, quæ in his magnis operibus oriri solent, non mœrere, non angere, sed lætari, atque gaudere.

VI. Pro his omnibus solum Dei ob-

K sequi-

sequium ac gloriam expectare, & verum honorem, scilicet æternum, in patria decernendum, concupiscere.

VII. Dignitates & mundi honores, si non offerantur, non appetere; si offerantur, aspernari: & minus voluntarij, solum pro Dei gloria & merito obedientiæ suscipere, & sub illis, tanquam sub pondere, gemere, & libentissimè eos alijs dimittere.

VIII. Honores, ac munera, nostris meritis minora, præ ambitione non aspernari, sed illa cum magna modestia administrare, & quasi nostra maiori dignitati honore afficere.

IX. Non solum pusillanimitatem, quæ viribus à Deo nobis datis, congrua non audet, sed etiam præsumptionem, ambitionem, & inanem gloriam fugere.

*Arist. 4.
Ethic. c. 3.* X His ex parte continentur viginti indicia notanda viri magnanimi, quæ Aristoteles numeravit, & benè interpretata, non parum utilitatis viro spirituali possunt afferre. Vir enim magnanimus, Primo: Spectato
officio

officio aut dignitate magna, quam
 quærit, se propter illam, qua Deum
 repræsentat, dignum magno hono-
 re iudicat. Secundò: Modicè magnis
 honoribus, & à magnis viris oblati,
 delectatur, paruosque contemnit.
 Tertio: In prosperis & aduersis
 moderatum se exhibet. Quarto:
 Magnanimi etiam est, parua pericu-
 la, paruis relinquere, magnis verò
 pro Dei gloria se exponere, & si
 opus fuerit vitæ non parcere. Quin-
 to: Acceptum beneficium ab ho-
 mine maioribus beneficijs compen-
 sare. Sextò: Neminem ex mortali-
 bus, nisi ob res magnas, rogare. Se-
 ptimò: Libenter alijs adiumento ef-
 se. Octauò: Cum principibus, & o-
 pulentis; si ita gloria Dei exigat, præ-
 stare se magnum & excelsum; cū me-
 diocribus & infimis, moderatum.
 Nono: Non se locis honoratioribus
 aut dignitatibus ingerere. 10. Cuncta-
 ri in his, quæ aggreditur, & nō multa,
 sed magna facere. 11. Apertè vitia o-
 disse, & virtutem amare. 12. Palam &
 liberè, quæ dicenda, & agenda sunt,

dicere & agere. 13. Vulgi hominibus
sententiam suam & rationem guber-
nandi non prodere. 14. Alterius nutu,
nisi superiori, non posse viuere. 15.
Quia nihil ei magnum est, non facile
admirari. 16. Iniuriarum non memi-
nisse. 17. Aliorum nimium laudorem,
aut vituperatorem non esse. 18. In mo-
lestijs querulum non se præbere. 19.
Malle res honestas quàm vtilis possi-
dere. 20. Habet denique magnanimus
vocem grauem, motum tardum, ora-
tionem sedatam, & quia paucis stu-
det, non festinat, & quia nihil mag-
num æstimat, nunquam vehementer
contendit.

Postulatio Magnanimitatis: Do-
mine IESV Christe, Rex magne, qui
pro nobis, pusillis magna & incom-
prehensibilia fecisti, & sæculi hono-
rem calcasti: fac nos, obsecramus, in-
tentè, magnorum operum amatores,
& terrenorum honorum & dignita-
tum contemptores; vt & magna ope-
ra & magna in tuo regno præmia nos
efferant, & magnorum honorum sæ-
cularium contemptus nos in ve-
rissi-

rissimum sanctorum honorem inducat. Amen.

De Securitate. §. III.

Securitas est virtus, qua pacatè & tranquillè magna opera virtutis aggredimur, & timorem, anxietatemque errandi, præposterè agendi, & non assequendi finem, cohibemus. Quæ, ut D. Thomas ait, pars est magnanimitatis, quia cum magnanimus ea quæ aggreditur, non sibi imparia reputet, meritò in operib. suis securus est, & de diuina misericordia sibi fauete cõfidit.

D. Thom.

2 2. qu.

129. art. 7.

Incitamenta ad securitatem sunt:

I. Concurfus Dei, qui omnes res naturales in suis functionibus mirabiliter iuuat. Qui & ipsis peccatoribus in suarum quoque legum transgressionem auxilia ad operandum generalia non denegat, ne naturali ordini in rebus statuto deficiat. Quanto ergo magis suos iustos iuuabit, pro eius obsequio laborantes, & eos ab emergentibus impedimentis vinci non sinet.

II. Bona conscientia, quæ iustum,

K 3

Dei

Dei gloriam quærentem mirabiliter
 roborat, & spe exitus boni confortat.
 Tob 11.14. Vnde Iob: *Si iniquitatē, quæ est in ma-*
 18. *nutua, abstuleris, defossus securus dor-*
 Prou 28.1. *mies. Et Salomon: Iustus quasi leo con-*
 Bern. lib. *fidens absque terrore erit. Et Bernard.*
 de confid. *Nihil in hac vita securius, nihil iucun-*
 prope fin. *dus possidetur bona conscientia. Pre-*
mat corpus, trahat mundus terreat dia-
bolus, illa tamen semper erit secura.

III. Sollicitudo rectè præstandi o-
 mnia, quæ ad nos pertinent, vt in his
 quæ agimus, prosperum finem asse-
 quamur. Qui enim quod ad se perti-
 net, facit, non imprudenter quod à
 Deo iuuabitur, de infinita eius mise-
 ricordia confidit. Et hoc insinuat Cy-
 prianus, ita scribens: *Dei est, inquam,*
 Cypr li 2. *Dei omne quod possumus; inde viuimus,*
 epi. 2 ad *inde pollemus, inde sumpto & concepto*
 Donat. *vigore, hic adhuc positi futurorum in-*
dicia prænoscimus. Sit tantum timor,
innocentiæ custos, vt quod in mentes no-
stras indulgētia cœlestis all'ipsu clemē-
menter Dominus influxit, in animi ob-
lectātis hospitio iusta operatione tenea-
tur, nec accepta securitas indiligentiā
pariat,

pariat, & vetus denuò hostis obrepit.

Actiões Securitatis sunt: I. Promptè, & alacriter, & cum spe boni exitus, actiões præclaras & difficultatem præ se ferentes aggredi.

II. Timorem, anxietatemq; ex non legitima causa obortam, abijcere.

III. Quietè, & sine vlla perturbatione, dum in Domino, & non in nobis fiduciam collocamus opera bona præstare.

Postulatio Securitatis: Domine Iesu Christe, triumphator potentissime, qui omninò securus de victoria peccati & mortis existens, ante passionem tuam, acclamationem victoris libenter suscepisti, & Hierosolyam ante conflictum cum morte, tãquam mortis & peccati victor, intraisti: concede, quæsumus, nobis famulistuis, ita tuam erga nos amabilem prouidentiam, & abundantissimum auxilium agnoscere, vt simus in bello tentationum tua protectione tuti, & in magnorum operum exercitatione tuo adiutorio securi. Amen.

De Magnificencia. §. IV.

Magnificencia est virtus, qua ob Dei honorem, in magnis & utilissimis operibus magnos sumptus facimus, & ingentem vim pecunie profundimus.

Aug. li. 83. 99 q. 31. Quod innuit Augustinus dicens: Est rerum magnarum, & excelsarum, cum ampla quadam & splendida propositione, cogitatio atque administratio. Et a-

Basi hom. in Psa. 28. pertius Basilius: Qui magnificas, inquit, De Deo cogitationes habent, sublimes item de rerum creatione rationes speculantur, huc etiam quatenus potuerunt incubere, ut bonitatem diuinae prouidentiae qualicumque intelligentia consequerentur: ad hoc in faciendo sumptu minimè illiberales aut sordidi, & in alleuanda fratrum necessitate munifici: ij demum sunt magnifici, in quibus vox Domini sibi elegit domicilium.

Incitamenta ad Magnificentiam sunt: I. Deus pro nobis redimendis magnos sumptus fecit, qui non auro vel argento, sed sanguine sui Filij, in infinitum pretiosiore, nos in libertatem asseruit. *Scientes*, inquit Petrus

1. Pet. 1. 18. 19.

Apostolus, quod non corrupti sitis auro.

auro vel argento, redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati. Quid ergo multam, si nos propter illum ex bonis suis, quæ recepimus, magnos sumptus faciamus?

II. Deus etiam hominem magnificentum fecit. Nam magnificauit Dominus Psal. 124. *facere nobiscum, facti sumus letantes.* 3. Greg. 8. Et Gregorius ait: *Deus hominem magnificat, quia largitate rationis ditat, quia infusione gratiæ visitat, quia honore collatæ virtutis exaltat, quibus anima maximè reficitur, quia magno animo & rationali nihil est magnum, nec fatiat eum nisi solus Deus, qui est immensus. Debet ergo qui magnificus est, opera magnificentia præstare.*

III. Quanto pro Deo plura & maiora infumimus, tanto ditiores effici-mur, quia pro temporalibus ferè nullius valoris spiritualia immensi pretij recipimus. Hoc autè adeò verum est, vt Paulus de his, qui præcipuum opus magnificentiæ faciunt, & 2. Cor. 6. omnia pro Christo dimitunt, dicat: 10.

Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Et Dominus: Centuplum accipient, & vitam aeternam possidebunt.

Actiones Magnificentiae sunt: I. In operibus magnis & splendidis, ut in aedificandis Ecclesijs, monasterijs, collegijs, & in alijs aedificijs secularibus, ad splendorem reipublicae pertinentibus, magnos sumptus auri, argenti, gemmarum, & pecuniarum facere.

II. Affectum immoderatum erga has magnas opes, qui earum profusionem impedit, moderari.

III. Magnis sumptibus, id est, dimissione omnium rerum, gemmam perfectionis coemere.

IV. Nosipfos, qui omnes sumptus externos superamus, in verae virtutis adeptionem, & in magnorum propter Deum operum molitionem, insumere.

Exo. 15. 11. Postulatio Magnificentiae: Domine Iesu Christe, qui es magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia, qui que in conuiuio corporis & sanguinis tui magnificentissimus apparuisti, dum te ipsum, infiniti

infiniti valoris thesaurum ad nos cibandos & potandos donasti: effunde super nos spiritum, diuitiarum contemptorem, vt sicut te inspirante omnia volumus dimittere, ita paratissimi, si omnes mundi gazas nunc haberemus, propter tuum amorem erogare. Amen.

De Patientia. §. V.

Patientia est virtus, qua mala huius seculi equo animo sustinemus, ita vt propter illa, nec interius immoderate turbemur, aut tristemur, nec exterius aliquid minus honestum minusve decorum admittamus. Mala huius vitę, quę patientia sustinet, sunt mortes patrum, filiorum, cognatorum, amicorum: morbi, exilia, damna, iniurię, cõtumelię, & cætera huiusmodi, quę possunt accidere. Patientis igitur est, in his euentibus, tristitiam, moerorem, & afflictionem moderari, ita vt mensuram rationis non excedat, nec ad aliquid illicitum ad depulsionem malorum inducat. Est etiam verba, & gestus, & alias externas a-

Aug lib.
de Pati.
c.2.

Iustin.in
ligno vite
de Patiē.

ctiones, tristitiæ indices, ita regere, ut nihil in eis, nisi quod decorum est, & virili animo dignum, eluceat. His intelligitur definitio Augustini: *Patientia hominis est, qua mala equo animo toleramus, ne animo iniquo bona deferamus, per quæ ad meliora perveniamus.* Illa etiam Laurentij Luitiniani: *Patientia est virtus, contumeliarum. & omnis aduersitatis impetus equanimiter portans, vel est, aliena mala, id est, ab alijs illata, equanimiter perpeti, & contra eum, qui irrogat, nullo animi dolore moueri.*

Incitamenta ad patientiam sunt:
I. Sine patientia, vitam coelestem, quam speramus & optamus, habere non possumus. Quoniam impossibile est, nos in hoc exilio, tot malis & miserijs referto, multis illorum sæpè non impeti, quibus, nisi patientia resistamus, facient nos aut à bono discedere, aut in malum peccatumq; prolabi. Hoc autem significant illa verba Domini: *In patientia vestra possidebitis animas vestras, quia nequaquam animæ vitam possidebimus,*

bimus, nisi patientia fulgeamus. Atque item illa: *Beati, qui persecutionē* ^{Mat 5.}
patiuntur propter iustitiam, quoniam ^{10. 11.}
ipsorum est regnum caelorum: Et beati estis cum maledixerint vobis homines, &c.

II. Patientia ipsius Dei, qui tantam ingratitude[m], & peccatorum nostrorum colluuiem sustinet, qua nos propter bonum nostrum merores & ærumnas sustinere docet. Si Dominus, inquit Cyprianus, nobis Pa- ^{Cypr. l. de}
 ter & Deus est, sectemur patientiam ^{bono pa-}
 Domini pariter & Patris. Quia & ser- ^{tientia.}
 uos oportet esse obsequentes, & filios nō decet esse degeneres. Qualis verò in Deo & quanta patientia, quod in contumeliam suæ maiestatis & honoris, instituta ab hominibus prophana templa, & terrena figmenta, & sacra sacrilega patientissimè sustinens, super bonos & malos equaliter facit diem nasci, & lumen Solis oboriri? Et cum imbribus terras rigat, nemo à beneficijs eius excluditur, quominus iustis simul & iniustis indiscretas pluuias largiatur? Et post multa commemorata beneficia hæc

subijcit: Et cū crebris, immò continuis
exacerbetur offensis Deus, indignatio-
nem suam temperat, & prestitutū se-
mel retributionis diem, patienter expe-
ctat Hæc ille.

Inducit etiam exemplum Christi
Saluatoris nostri, cuius tota vita,
patientia fuit. Qui in ingressu in hūc
mundum, in progressu per hunc mū-
dum, in egressu de hoc mundo, innu-
mera mala sustinuit, & aduersa pa-
tientissimè tolerauit. Aequum est au-
tem, vt nos qui eius membra sumus,
pati & sustinere, gloriosissimum co-
gitemus. Pulchrè sponsa, inquit Ber-
nardus, conuertit sibi ad gloriam, quod
ei pro opprobrio ob amulis intorque-
tur, non modo formosam, sed & ni-
gram esse se glorians. Non enim eru-
bescit nigredinem, quam nouit præ-
cessisse, & in sponso, cui similari, quat-
ta etiam gloria est? Nihil sibi gloriosius
proinde putat, quàm CHRISTI op-
probrium portare. Vnde vox illa pror-
sus exultationis & salutis: Absit mihi
gloriarī nisi in cruce Domini nostri Iesu
Christi. Grata ignominia crucis ei, quæ
cruce

Ber ser.
25 in Cāt
propè fin.

Ad Ga-
lat. 6. 14.

crucifixo ingratus non est. Nigredo est, sed formosa, & similitudo Domini *Va- Isa. 53 3.* de ad sanctū Isaiam, & describit tibi, qualē eū in spiritu viderit. Quē namq; alium dicit virū doloris, & scientē infirmitatem; & quia non erat ei species, neq; decor? Inducit tandē sanctorum *Ibid. n. 2.* exemplum: Nā sicut eorum caput oportuit per passionum tolerantiam intrare in gloriam suam; ita necessarium fuit, vt ipsi in gloriam eadem via ingrederentur. Et nos si cupimus eorum socij esse, per eandem viam debemus intrare.

III. Præmium patientiæ eximium est: Nam & in hac vita patientia nos perficit, iuxta illud: Virtus in infirmitate perficitur; & in alia vita eximia remuneratione coronat. Idque significant illa verba Iob: *Iob 57.* Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum. *Greg 6.* Quid nimirū, vt inquit Gregorius, *mor c. 5.* de mēs ad summa euolat; vnde caro in infirmis durius laborat. Quāra autē sint patientiæ bona, Tertullianus in hūc *Tertul de* modum exponit. Patientia fidem mu- *patientis* nit, pacem gubernat, dilectionem adiu- *uat.*

uat, humilitatem instruit, poenitentiam expectat, exomologesim, id est, confessionem, assignat, carnem regit, spiritum seruat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pel-
lit, martyria consummat.

Actiones patientiæ sunt: I. Damna fortunæ & substantiæ mundialis æquanimiter ferre.

II. Iniurias, irrisiones, probra, contumelias, detractiones, & infamias æquo animo sustinere.

III. Dolores, ægrotudines, corporis imbecillitatem, atque ipsam mortem, sine impatientiæ nota tolerare.

IV. Hæc omnia sufferre sine murmuratione, sine lamentationibus, & querimonijs, sine immoderata & nimia tristitia.

V. Supradicta mala non solum sine tristitia nimia sustinere, sed etiam se ad gaudium inducere, quia pro gloria Dei aliquid tolerat, & planè cum gaudio & exultatione pati, sicut Apostoli: *Qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti*

biti sunt pro nomine Iesu contumelians
pati.

VI. Ferre hæc mala, aut quia no-
stræ culpæ commeruerunt, aut etiam
sine culpa, quæ ab hostibus & inimi-
cis dimanarunt.

VII. Ferre hæc mala propter bo-
na opera, quibus alijs adiunçto fui-
mus, qui in nos beneuolos, se male-
uolos & ingratos præstant, secundû
illud: *Si beneficientes sustinetis, hæc
est gratia.* Atque iterum: *Retribue- Ps. 34. 13.
bant mihi mala pro bonis, sterilitatem
animæ meæ.*

VIII. Sustinere mala, non tantû *1. Pet. 2.
à malis, sed etiam à bonis, & ab his 20.
qui bono zelo, non tamen secundû
scientiam, nos persequuntur, &
qui dum de nobis detrahunt, aut fâ-
mam dilacerant, & rebus spoliant,
arbitrantur se obsequium præstare
Deo.*

IX. Non nos excusare, sed in me-
dijs malis quietos silere, sicut fecit
Dominus, qui à Pilato interrogatus, *Mat. 27.
nihil respõdit, & apud Herodem pru- 14.
dentissimè tacuit.*

X. Ma-

X. Mala hæc concupiscere, & ex desiderio imitationis Christi peroptare. In cuius persona scriptum est:
Pf. 68. 21. Improperium expectauit cor meum & miseriam.

Postulatio Patientiæ: Domine Iesu Christe, qui in diebus mortalitatis tuæ nos semper bona agere & mala tolerare docuisti: spiritum nostrum virtute patientiæ roborata, vt mala à malis & à bonis, sine vlla etiã occasione à nobis data, propter te æquanimiter toleremus, & vt ob eorum depulsionem, nec vlllo peccato foedemur, nec à virtutis sequela vlllo modo desistamus. Amen.

De Longanimitate. §. VI.

Longanimitas est virtus, qua per longum tēpus molestias corporis, & mētis ariditates sustinemus, & malorum remedium, ac fœlicitatis aduentum, diu dilata, equo animo ac firma spe à Domino speramus. Quæ pars est patientiæ, & in hoc ab ea differt, quòd patientia, mala quidem tolerat, longanimitas verò quod difficilius est, facit: nam per diuturnum tempus mala susti-

sustinet, & consolationem per multos dies, menses, & anos dilatam expectat.

Incitamenta ad longanimitatem sunt: I. Bonum, quod malorum perpeffione speramus, maximum est. Ab eo etiam illud expectamus rerum omnium conditore, qui potentissimus est ad donandum, & celerrimus ac presentissimus ad auxilium ferendum. Differt autem aliquando, quia remedij dilationem ipsius gloria, & nostrum maius bonum exposcit. Non ergo æquum est, vt maxima bona, quasi nullius momenti essent, breui labore velimus accipere, & ante tempus, Dei gloriae & nostræ utilitati conueniens, illa optemus comparare. Quamobrem vnusquisque illud Dauidis sibi dictum existimet: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Psf. 26. 22.

II. Saluator noster, longissimo tempore nos morantes, & eius iussis obedire detrectantes, expectat: & si post conuersionem nostram ab illo
fugia-

fugiamus, vel segniter nos geramus, nostram ingratitude, segnicie, ac stultitiam, mirabili longanimitate supportat. Quare vilis homuncio & inutilis se. ius Dominum suum non expectabit? Quare à sapientissimo magistro longo tempore aduersa tolerare non discet? Quare fidelissimo patri omnia prospicienti & leuamé

Ber ser. 9. in Cant. Rō 2. 4. afferre cupienti non fidet? *Gemina dulcedo suauitatis*, inquit Bernardus, *exuberat in pectore Domini Iesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas.*

De primo legimus: An diuitias bonitatis eius, & patientie, & longanimitatis contēnis? An ignoras, quia benignitas Dei ad poenitentiam te ad lucit? De secundo verò:

Quacunque hora ingemuerit peccator, peccatum tunc remittetur ei. Si ille nos expectat, expectemus vicissim illum. & nos, quia veniens veniet, & non tardabit, & lachrymas nostrorum oculorum absterget.

Iust. li. de interiori conflictu ca. 11. III. Inducit longanimitatis laus, quam Laurentius Iustinianus hac luculenta oratione contexuit: *Longanimitas*

*nimitas est amica virtutum, gratia ad-
 uocatrix, religiositatis domicilium, fi-
 dei speculum, testimonium sanctitatis,
 ornamentum Catholicae veritatis, Dei
 imitatrix, interemptrix vitiorum, tē-
 tationum medicamentum, persecutrix
 demonum, & spiritualis lancea, inimi-
 corum arma transfigens. Hac Christi
 militibus necessaria esse probatur. Tolle
 longanimitatem bellatori & illico ti-
 more comprehensus, terga aduersarijs
 dabit. Si hac operari quisquam carue-
 rit, intermisso opere repente deficiet.
 Sanctorum longanimitatem aduerte,
 tu, qui pusillanimitate purgaris: eorum
 in tribulatione constantiam si diligen-
 ter attendas, efficieris patiens, & in di-
 uinae gratiae expectatione robustus. I-
 psos imitare, quos diligis, vt ad illorum
 gloriam pertingere queas, virtute præ-
 uia felicitatis eorum consequeris fasti-
 gium.*

Actiones longanimitatis sunt: I.
 Persecutiones, iniurias, molestias
 corporis, & cætera huiusmodi lon-
 go tempore, immò vsque ad mortē, si
 oportuerit, sine vlla impatientiæ no-
 ta tolerare.

II. Men-

II. Mentis ariditates, consolationum diuinarum subtractiones, & Deum se abscondentem, & quasi in medijs fluctibus, quibus submergimur, dormientem, sustinere.

III. Propter hæc & alia terribilia, quæ viri spirituales interdum experiuntur, quibus à Domino probantur, nunquam in rebus exterioribus consolationem quærere, nunquam à studio sanctæ orationis separari, nunquam in cura virtutis intepescere.

IV. Illam in quacunq; gratiæ subtractione mentem induere, quam habebat sanctus Iob, quando dicebat:
Iob 13. 11. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo, veruntamen vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit Saluator meus.

Postulatio Longanimitatis: Domine Iesu Christe, cuius hoc est pulchrum tuæ longanimitatis elogium: Miserator & misericors Dominus longanimis, & multum misericors, qui que nos innumeris miserationibus implet, & duritiam nostram vsque ad senectam & senium expectas: quæsumus,

mus, angustum cor nostrum dilata,
& longanimitatis virtute magnifi-
ca, vt semper labores & molestias
pro te sustinentes, & nullam in hoc
exilio mercedem consolationis po-
stulantes, nos æternitatis cognitores
esse monstremus, & bonorum æter-
norum amatores ostendamus. A-
men.

De Perseuerantia. §. VII.

Perseuerantia est virtus, qua ex ipso
affectu continuādo bonum, in bonis
operibus vsque ad finem persistimus, &
molestiam ex rei laboriosa diuturnita-
te prouenientem, superamus. Seu, est,
vt inquit Albert. in bonis operibus fre- Alber. in
quens exercitatio, continuum studium par ani-
ad perfectionem, spiritualiū gratiarum mæ l. 4. 2
& virtutiū diligentissima vsq; ad moriē Aug. l. 83.
obseruatio. Aut breuius cum Augusti- 99. q. 31.
no: Est ratione benè considerata stabili
& perpetua permansio. Donum au-
tem perseuerantiæ longè distat ab
hac virtute, quod in iustitiæ & gra-
tiæ vsque ad mortem continuatione
consistit. Hoc donum vniuerso-
rum

rum

rum quidem donorum maximum sub merita nostra non cadit, & nemo illud vsq; ad extremum vitæ terminum plenum habet, de quo nunc nihil intendimus disputare.

Incitamenta ad perseuerantiam sunt: I. Sine perseuerantia omnis labor in aliqua virtute susceptus debita mercede vacuatur. Et sicut vanum est, oculū sine præsidio lucis ad videndum aperire; ita stultum est, sine perseuerantia præmium laborum expectare. Ideoque non perseuerantes stulti vocati sunt. *Sic stulti estis*, ait

Ecc. 27. 12 Paulus, *vt cum spiritu cœperitis, nunc*

Mat. 11. 7. *carne consummemini*. Et Sapiens: *Stultus vt luna mutatur*. Et Dominus instabiles vocat *arundines vento agitatae*, quia ex motu suorum operum nullum fructum solidum accipiunt.

II. Perseuerantia quod petit, impetrat. Vnde in illa parabola petētis ab amico tres panes, ait Dominus: *Luc. 11. 8.* *Si perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen*

eius

eius surget, & dabit illi, quotquot habet
 necessarios. Perseuerantia quoq; præ-
 mium æternum mercatur. Nam & i-
 pse auctor huius præmij ait: *Esto fide-
 lis vsque ad mortem, & dabo tibi coro-
 nam vitæ.* Ap. 2. 10.

III. Inducit pulcherrima perse-
 uerantiæ laus scripta à Bernardo, qui
 sic habet: *Et nunc quid restat, charissi- Ber. epi.
 mi, nisi vt admoneamini de perseuerã- 229.
 tia, quæ solam meretur viris gloriã, co-
 ronam virtutibus? Prorsus absque per-
 seuerãtia, nec qui pugnat, victoriã, nec
 palmã victor consequitur. Vigor viriũ,
 virtutũ cõsummatio est, nutrix ad me-
 ritum, mediatrix ad præmiũ. Soror est
 patientiæ, constãtiæ filia, amica pacis,
 amicitiarum nodus, vnanimiãtu vin-
 culũ, propugnaculum sanctitatis. Tolle
 perseuerantiã, nec obsequium mercedẽ
 habet, nec beneficium gratiã, nec laudẽ
 fortitudo. Denique non qui cœperit, sed
 qui perseuerauerit vsque in finem, hic
 saluus erit Saul cũ esset paruulus in o-
 culis suis, rex est super Israel constitu-
 tus, nõ perseuerãs in humilitate, & re-
 gnũ amisit & vitã. Si cautela Samson,*
 L si

si Salomonis deuotio perseverantiã retinuisset, nec is profecto priuaretur sapientia, nec ille virib. Hoc summa honestatis insigne, hanc totius probitatis unicam fidamq; custodem, custodiri à vobis firmiter hortor & precor.

Actiones perseverantiæ sunt: I. Laborem virtutis ex temporis diuturnitate provenientem tolerare & vincere.

II. Non obstante eo labore, virtutis opera cõtinuare, & in eo quod semel cœperimus, stabiles permanere.

III. Nec amore vitæ, nec timore mortis, nec minis, nec promissionibus, quod fecit Susanna à rectitudine separari.

Postulatio Perseuerantiæ: Domine Iesu Christe amator noster perseverantissime, qui cum semper dilexisset tuos, in finem dilexisti eos. & in cruce pendens & dicens: consummatum est, illustrissimum nobis exemplum perseverantiæ dedisti; fac nos in eo, quod ob tuum obsequium cœpimus, stabiles, & in omni virtute perseverantes, vt cum Apostolo tuo pos-

simus

simus dicere: *Fidem seruamus; & cum exemplo patientiæ Iob, quia donec 2. Ti 2. 7. deficiamus, ab innocentia nostra non Iob 27. 5. recedemus.* Nam si nos fidem vsque ad finem tibi seruauerimus, absq; dubio à te remuneratore fidelissimo, *mercedem bonam, & confertam, & cogitatam, & superfluentem, recipiemus. Luc. 6. 35.* Quam da nobis, rogamus supplices, per tuam infinitam bonitatem. Amen.

De Constantia. S. VIII.

Constantia est virtus, qua quacumq; impedimenta virtutis, vel ex ipsa humani cordis mobilitate vel ex causis extrinsecis proueniētia, superamus, & in bono stabiliter permanemus. In hoc ergo à perseuerantia distinguitur, quod hæc difficultati ex longitudine tēporis dimanāti resistit, illa vero reliqua extrinseca impedimēta & humani ingenij instabilitatem respicit. Istamq; esse cōstantiæ naturam, satis indicat Ambrosius *in his Amb. 2. verbis: Gratia preparāda est animi Offic. 6. 28 exercenda mens, stabilienda ad*

tiam, vt nullis perturbari animus possit terroribus, nullis frangi molestijs, nullis supplicijs cedere.

Incitamenta ad constantiam sunt:
 I. Constantia sanctorum Martyrum, qui tormentis acerbissimis interrogati, & timore mortis adacti, vt fide desererent, semper immobiles perstiterunt, & nunquam verum Deum abnegarunt. Item constantia omnium sanctorum, qui inter magnas difficultates nunquam a desiderio perfectionis auulsi sunt. Nos igitur, qui non vsque ad sanguinis effusionem restitimus, neque vsque ad mediocritatem profecimus, vtique debemus eorum exemplis accendi, & ob nulla impedimenta a virtutis inquisitione cessare.

II. Per constantiam protoparentis nostri, erratum corrigimus, & famam amissam vtcunque resarcimus. Ille enim, quia in veritate non steterit, & verbis vxoris emollitus est, seipsum & nos perdidit. Hoc autem mihi sane facinus detestamur, & damnum seu nobis illatum reparamus, cum

in gratia, nobis per Iesum Christum Saluatorē nostrum restituta, persistimus, & impedimenta vniuersa virtuti reluctantia prosternimus.

III. Bonum amittimus, à quo per inconstantiam resiliimus, & ad virtutem capeffendam necesse est vsque ad finem persistere, nec sufficit eius studium inchoare. Quòd si cordis instabilitas nos ad id, quod coepimus, deserendum sollicitet, aut quæuis impedimenta insuperabilem esse difficultatem obtendant, expendamus animo, Deum, cuius potentia nulla est mensura, nostrum auxiliatorem esse, qui & impedimenta nobis, non aliter quam *lapidem sepulchri sanctis mulieribus tollet*, & omnē difficultatem superabit. Vnde ipse ait per Isaiam: *Ne timeas, quia ego tecum sum, ne declines, quia ego Deus tuus confortauit te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextra iusti mei.*

Mar. 16. 4.

Isa. 41. 10.

Actiōnes Constantiæ sunt: I. Statū perfectionis, quem semel arripimus, nunquam mutare.

I. 3

II. Mo-

II. Modum orandi, & nos cohiberi, & in virtutibus proficiendi, quæ à maioribus didicimus, nisi manifestè à Deo ad alium vocemur, semper tenere.

III. In loco aut ministerio, in quo nos obedientia posuerit, sine vlla inquietudine requiescere.

IV. Superfluos discursus, & secularium non necessarias visitationes, & à nostro instituto aliena negotia fugere.

V. Cogitationes & desideria, in vno, scilicet in Deo, quem vt finem quærimus, fixas habere.

VI. Ab his, quæ Deo placent, ob nullam obortam difficultatem cessare.

VII. In desiderio proficiendi & virtutem augendi, nunquam in te pesce-re.

Postulatio Constantiæ; Domine Iesu Christe, qui ab hostibus veritatis in crucem actus, & ad descendendum inuitatus, descendere noluisti, vt nostram redemptionem perficeres, & ad constantiam animares: fac nos

nos, oramus intentè, tuæ inuictæ cō-
statię imitatores verissimos, vt à cru-
ce, quam pro te semel portare cœpi-
mus, nunquam per ignauiam desista-
mus. Amen.

De virtute Temperantiæ.

CAPVT IX.

POSTREMA ex virtutibus mo-
ralibus est temperantia, quæ
ad cohibendum appetitum con-
cupiscibilem data est; in eoq̄ue ap-
petitu residet; licet secundum ali-
quos non inferioris notæ Theolo-
gos, in voluntate quoque resideat.
Putant enim omnes, virtutes, ad For-
titudinem & Temperantiam perti-
nentes ex duplici habitu coalescere,
quorum alter afficit appetitum, al-
ter verò voluntatem. Sed quia hoc
non est, nostri instituti definire, nec
asserimus, nec negamus. Temperan-
tiæ, multæ sunt, tum species, tum
potentiales partes, seu virtutes an-
nexæ, quæ hominem temperatum.